

in ædem ipsam impetu facto, loci antistitem cum non parva mortalium manu rebusque multis inde asportarint. Erat per id tempus Dux Petrus Candianus: is in re tam trepida minime cessandum ratus, confestim ingenti hominum manu ex omni ordine in naves imposita, hostes insequitur: eos in Caprulanis aquis affecutos prædam inter se dividentes, haud magno negotio oppressit: receptisque civibus cum antistite ac reliqua supellectile, ovans quarto nonas Februarii, biduo postquam in eos moverat, urbem ingressus est. Verum quia Purificatio Virginis in eos dies inciderat, a re sæliciter gesta ludos primo institutos ferunt; rem autem a religione ortam luxuriosa posteritas invidioso auri & gemmarum apparatu omnino depravavit. Sublatis igitur omni ora maritima, quæ urbi adjacet, latrociniis, quum Venetum nomen clarum, ac vicinis accolis minime contemptibile esse cœpisset, non multo interjecto tempore Narfes, Justiniani Imperatoris eunuchus, vir alioquin impiger, Gothicis temporibus ad Italiam servitute liberandam missus, publico nomine a Venetis adjutus est: verum parum constat, armis ne an commeatu & navibus, quibus maxime tum opus fuit ad trajectionem ingentis exercitus quem secum duxerat. Præmissis ille ex Aquileja duodecim Longobardorum millibus, cujus gentis fida ac strenua utebatur opera adversus Totilæ copias, quas barbari jussu Athesis ripam insedisse acceperat, consilium cœpit, secus Hadriatici sinus littora Ravennam venire: quod sine ingenti onerariarum navium apparatu fieri non potuit, quando loca ferme omnia tum paludibus in mare emittentibus, tum magnorum fluviorum ostiis essent impedita. Verisimilius est laboriosam alioquin expeditionem Venetorum opera levatam: quippe qui & locorum & maritimæ rei jam inde haud imperiti habebantur. Satis constat, ob egregiam eo bello a Venetis navatam operam, duo in urbe adhuc nova Narsetem phana suo nomine ex hostium manubiis erexisse: Theodoro martyri unum, quod hoc tempore aurea divi Marci æde continetur: alterum, quod e regione ipsius ædis in summa area cernitur, Menæ & Geminiano sacrum. Hic est ille Narfes; qui quum Gothicum nomen prorsus Italia sustulisset.

Narfes ad-
jutus a Ve-
netis.

564

882

Primi Gra-
vissimi An-
tiqui.

Ecclési-
astice
Græcæ
Antiquæ
et
Latine

882

Prologus

882

566